



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

XLI. In Domin. XII. Post Pent. Quis est meus proximus. Luc. 10. Arg.  
Resolvitur proposita quæstio.

---

---


**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

*Psal. 40.*

cus qui hodiernum mutum & surdum sanitati redonavit. Illum igitur compellemus, & cum purpurato principe identidem ingeminemus. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labiis meis.* Pone custodiam, & ostium, ut loquar non nisi ea, quæ ædificent; ut audiam, non nisi quæ

profuerit. Pone custodiam ne unquam aut te Deum meum offendam labiis meis, aut proximum perstringam. Verba tua sint in ore meo, & auribus meis, à quibus anima mea proficiat de die in diem, ad te amandum provehatur, ad te possidendum in omni æternitate animetur. Amen.



CONCIO XLI.

IN DOMINICA X. POST PENT.

Quis est meus Proximus Luc. 10.

ARGUMENTUM.

Resolvitur proposita quaestio.



**S**æpenumero scientiis nostris provecti supra sidera efferrimur, & in iis, quæ plantis subjectata turpiter hallucinamur. A. Videmur nobis Philosophorum problemata, Mathematicorum axiomata, Theologorum arcana penetrasse, & in rebus minoris ponderis, ac Catechismi doctrinis deliramus. Quantoque arrogantius præsumptione manu ductrice cervicem in disciplinis arrigimus, tantò profundius ut plurimum, adigente ignorantia, easdem cogimur acclinare.

*Desiderates à femina ut irrigitur*

Doctrinam Astronomum femina de trivio, cachinno neququam triviali explorat; quod cum Thebis sua in arte haberetur versatissimus, siderum cursus sub multam noctem exactius observando publica in platea respicit, inque puteum prolapsus

fuisse; quasi vel inter sidera sideratus fuisset; oculosque haud apud se, sed supra se habuisset.

Quem casum, quum expendo, vix non inducor ad excipiendum gemello sibilo hodiernum Legisperitum. Altum hic sibi sapere videtur, ingenio evolat, in sublimiores Theosophiæ quaestiones sese ingerit, subtiliter de amore Dei super omnia disceptat; & de eo, quod oculis obvertatur dare rationem ignorat. Etenim dato ad arduam de dilectione Dei quaestionem responso, exiguum de proximo in argumentum ignorantia suæ adducit: Et *Quis est meus proximus?* O mi Legisperire non, ne verecundaris tam obviam ventilare disceptationem? Num te fallit, proximum superlativum esse à propè, adeoque illum esse tibi proximum, quem præsentem intuetis, cum quo ambulas, qui tibi assidet, cum quo eodem Jove uteris. Profectò Grammaticus non es, si hæc ignoras;

*Proximus quis*

&



& oculos non apud te sed supra te haberi videris. Hac ratione fugillari, ac ludificari à quopiam posset.

Verumtamen si quispiam idem theorema profundius scrutetur, deprehendet non usquequaque obvium, cum ad idem solvendum Sapiencia æterna jam Sacerdotem, jam Levitam in medium produxerit. Quod cum ad mores nostros reformandos, & ad vitæ immortalis adita referenda summopere cōducatur, haud abs re fuerit eisdem imorari, & hodierno Sphyngi Oedipū statuere. Opitulare JEsu mi Assertor.

*Partitio*

II. Nequit ictu unico nodus hic rescindi, nec verbulo quæstio tota decidi. Quippe alia est proximi æstimatione secundum jura naturæ; alia secundum politices plebiscita; alia itidem juxta S. Evangelii oracula.

*§. I.*

*Proximus in natura.*

II. Si quæramus de proximo in natura: *Quis est meus Proximus?* ipsa met rerum viventium, ac sensu sese regentium creatum responsura est: Ille mihi proximus, qui sanguine, vel affinitate conjunctissimus. Nam ut loquitur Isidorus Pelusiora: *Vix lingua format verba, sanguis sua jura inclamat; primo natura instinctu amicum quisque designat, quem sibi talem sanguinis clamor demonstrat.* Vulgo dicimus: *Sanguinis non est aqua,* nimirum quæ facite effundatur, & evaporet; non est liquor quo manus, pedesque diluimus, mox illum in plateas effusuri. Non est liquor, qui agnata indole ad ingentum frigus reducitur; Non est aqua, quam ex obvio fonte haurias, aut pa-

lude proxima excerpas, Non est aqua, quam sulq; deque habeat. *Quid ergo?* Gluten fortissimum, quo animi constringuntur; Catena, qua corda invicem innodantur; adamantinum Vinculum, quo aliorum pectora attrahuntur; Vox potentissima, ac validissima, quæ jura sua inclamat, & ipsi naturæ ductu illū amicū, illū proximū enūtiat, quæ sãguis ipsi & purpuratū, & candidatum exhibet.

III. Hæc jura credo respiciebant Allobroges, quando unanimi plebiscito sanxerunt; ut si quispiam à suo sanguineo quidpiam afflagitaret, id primum atramento præstaret. Quod si id primis precibus non assequeretur, aliis literis id ipsum colore Brasilico exaratisurgeret; quasi cruorem obtutibus alterius obtendens, atque hoc validissimo ariete murum pectoris illius feriens. Demum & hoc frustrato stratagemate fas erat eidem immitti proximo tanquam violatæ necessitudinis reo diem dicere. Re verò expensa, ac legitimè comprobata Magistratus serpentem Hemoroidem dictum lateri applicari præcipiabat, qui toxico suo convictum proximum vitaret, cruoremq; exugeret; illctore ad aliorum inclamante terrorem: *Sanguinem perdit, qui sanguinem nauci pendit.* Indignus vita, qui quis sanguinem, quo illa constat, insuper habuit.

IV. In tota natura videmus, quod omne agens operetur in vicinior sibi objectum efficacius; eidemq; primo, ac principaliter virtutem suam communitet. Ita ignis ed intensius suum caloré passo dispensat, quo est illi propinquior. Ita aromata primò, ac copiosius in vicinum aërem suavissimum

*Proximi  
immitis  
supplicium  
A. ex. ab  
Alex.*

*Proximi cu-  
ra primo  
habenda*

*Proximus  
juxta natu-  
ram*

*Id.  
Pelus.*

*Sanguis non  
est aqua*



expirant odorem. Ita fons ille paradyfi primum circumjacentem irrigabat regionē, ex quo saturiebat; tum in quatuor divisus capita se effundebat, remotionis irrigaturus regionis. Ad eūdem modum ex legē naturæ tenetur quivis potius suis, quam exteris benefacere & tanto magis eorum cuique, quando est sanguine conjunctior.

2.2.9.26.8.8

V. Hinc Theologicum D. Thomas Prædoctore concludunt, quod in æquali causa, ac necessitate strictiore vinculo quivis teneatur favere, bonaque sua distribuere propriis, quam extraneis; & illis quidem tanto propensius, atque auctius, quanto fuerint proximiores. Roboratur id ipsum ex

Gal. 6.2.10.

D. Paulo sic definiente: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Fontes beneficiorum toras deriventur, sed imprimis proxima irrigent; ignis charitatis foveat extraneos calore suo, sed præcipuè domesticos calefaciat; aromata beneficentiæ odorem suum longe lateque diffundant, sed imprimis domum impleant. Nam

2.Tim.2.8.

ut idem ait alibi. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet fidem negavit, & est infidelis deterior.* Etsi enim verbis se nosse Deum jactitet, factis negat, dum non exequitur, quod Deus præcipit. Hic enim idcirco vincula propinquitatis instituit, quatenus protentionibus vinculis nos attraheret ad diligendum, & subveniendum proximo. *Et est infidelis deterior;* quia ille, etsi alienos despicit, propinquos tamē neutiquā aspernatur.

Ita quantumvis profitear sanguinem arctissimis nos vincire propinquitatis nexibus, in solo nihilominus sanguine fundati amorem proximi ad sanguinem usque depugno. Nimiū

quippe caliginosus amor foret, si non nisi unico arderet foco. Nimiū angustus si in solis arderet Ceris. Nimiū humilis, si supra Ethnicorum, ac Publicanorum ignes haud assurgeret. *Si enim diligetis eos (profatur Verbum Patris) qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt.* Pagana hæc virtus non urbana, multo minus Christiana est.

Matth. 5. 7  
46.47.

§. II.

*Proximus juxta Politicam.*Proxime  
juxta Pol-  
iticam Ci-  
vill. Alor.

VI. Quocirca si paululum progredimur vestigantes, quisnam insuper noster sit proximus? Respondebit ore D. Cyrilli Alexandrini Politica: *Ille mihi proximus, quem extollunt officia, ac beneficia commendant.* Hic mihi, hic tibi proximus, quem cælum feliciore editum sidere à magnificentia commendabilem reddidit. Vos hic alloquitur Nobiles viros; ut vestros discernatis amicos, seu proximos. Et quosnam illos? Profecto subditos vestros, qui operam suam omnem, officia, seu servitia vobis impendunt, & de suis bonis vos locupletant. Vos hic illa alloquitur Patresfamilias, quatenus noveritis inter amicos alios proximiores esse famulos, atque ancillas vestras, qui vobis fideliter, sincereque deserviunt. Vos hic alloquitur D. studiosos, inter alios, ac præ cæteris proximos vestros, quos diligere, complecti, pro quibus orare obstricti estis, esse Professores. Hic enim vobis Parentum loco sunt, hos ipso- rum extollunt officia, commendant beneficia. *Ille mihi proximus &c.* Quercinum profecto foret ingenium, quod nullis obsequiis ad benevolentiam in-

fecto-



flecteretur. Efferum pectus, quod nullis beneficiis ad comunionem curaretur. Ferrea viscera, quæ donis, xeniisque ad familiaritatem non iniciantur. Liberiore enim annona immanes atque crudeles bellæ ad humanitatem componuntur, vix que bestiam reperire est, quæ beneficio non mansuecat. Quod si itaque cuiquam ad latus est, qui commodis illius ancillatur, mala impendentia avertere satagit, futuris prospicit, nemo eum in album amicorum, seu proximorum referre ad dubitabit.

VII. Huc ex parte collimasse crediderim Legisperitum, quando propositæ parabolæ, & quæstioni, quis nã videretur proximus fuisse illi, qui incidit in Latrones? Respondit: *Qui fecit misericordiam in illum.* Non sacerdos, nec Levita, quantumvis ex eadem gente, & in eadem urbe enutritus, ac genitus; sed exteræ gentis accola, sed Samaritanus, & *qui fecit misericordiam in illum.* Ille mihi proximus, quem exollunt officia, ac beneficia commendant.

VIII. Verum enim vero hisne limitibus arctatur Christiana propinquitas? Hæne Hercules columnæ, quibus inscribatur: *Non plus ultra.* Neutiquam. Haud me præterit, quod: *Vulgus amicitias utilitate probat.* Nec fallit, obsequia ac beneficentiam obstetricem, atque alumnam amoris esse. Compertum munera compedes dici, quibus vincuntur animis; & quod Stobæus docuit: Non minus beneficiis amorem, quam ignem oleo foveri. At numquid proximo utendum ut vasculo tamdiu accepto, quamdiu pleno? Numquid ut flosculis tamdiu gratis, quamdiu recentibus, ac redolentibus? Numquid ut supputatoriis calculis inter-

dum plurimum, interdum minimum pollentibus? Numquid ut effedo, quod cum rectè vehitur, unusquisque insidere nititur; ubi paululum inflectitur, defiliunt universi. Ponamus quempiam tenaciorem ex quo ægrius gratiam, quam ex silice oleum elicias, jamne is omnino à præcordiis sequestrandus? Ponamus puteum altetius omnino esse exhaustum, jamne una affectus omnis in illum exarescet.

IX. Fateatur hanc sortem se in suis proximis subiisse David à filio proprio throno pulsus, ideoque occidit: *Elongasti à me amicum, ac proximum, & natos meos à miseria.* Robertus Stephani ex Hæbræo legit: *Et natos meos in tenebris.* q. d. Junxi me quibusdam in secunda fortuna, & ecce in adversa averti sunt à me; proximos delegi, & jam non norunt me; illi qui nuper attractæ pauperiem suam propalabant divitiisque defunctas testabantur: Notti in tenebris; nunc ad candidam proventi lucem elongati sunt à me. Quædiu versabantur in tenebris miseriæ, lucem melioris fortunæ apud me sollicitè investigabant; jam vero aspirante meo Numine, faustiore irradiati sidere, recesserunt à me. Nemini quando centonibus graves in mendicitatis suæ hospitabantur mapali; sed jam modo subvecti ad sublimioris fortunæ conelavia, vel præ nimio falgore ececutiunt, ne me agnoscant. *Noti quæque mei recesserunt à me.* Nec possum ab eis habere consilium, aut auxilium.

X. Fateor hanc ipsam in præsentiarum esse temporum calamitatem, & ut plurimum proximos ex Favoniis afflantibus, aut fortunis amplioribus, aut beneficentiis censei.

Beneficentia  
amoris ob-  
servatrix

Stob.

Psal. 87. v.  
19.  
Rob Steph.

Amici for-  
tuna se-  
quuntur



Petrum, & quamdiu aspirat aether cuncti inclamamus: *Bonum est nos hic esse. Tu Dominus, tu Patronus, tu Mæcenas. &c.* Verum ubi sinistra aura afflavit, nec nosse eum eum Petro volumus hominem non novi hominem. *Non novi hominem.* Dicat ut ut velit se esse illum aut illum, hoc aut illo gradu sanguinis obstrictum, nisi clientelam splendidam prætulerit, nisi vel auctoritate vel opibus præstiterit, habebitur instar Melchisedech sine patre sine matre, genealogia. Fateor hanc esse temporum nostrorum calamitatem, & coronariæ virtutis; ne dicam ipsius naturæ corruptelam.

*Proximo be-  
neficiendi  
quia proxi-  
mus 4. Est.  
9.*

XI. Verum contra hanc merito protestatur vir avitæ religionis, ac fidei Esdras, quando ait: *Gratiam oculos meus non vidit, donum manus mea non accepit. Parce tamen proximo meo, qui contradicebant tibi meo. Humiliabor pro eis & vota reddam.* Ecce non munus, non benevolentia, sed ipsa pietas ad miserandum proximo, eum inflexit.

*Esdras  
1. 2.*

Protestatur vir secundum cor Dei, qui Ægyptium jam prope animam agentem refocillari præcepit. Quod factum admirans Lyranus exclamat; *Ecce quem nunquam viderat David virum agnovit sibi proximum. Non noverat ulla viri in se merita, navavit sua proximus proximo beneficia.* Nimirum mercenarius amor non est, nec pro stipendiis militat. Si quid honestum, immo si quid humanum in alio comperit citra lucrum complectitur.

Ex his liquet nec naturam, nec politicam propositionem adamulsum exolvere, nec solum sanguinem, aut beneficia album, seu arborem proximitatis conficere. Nam quantumvis

non inficiat Consanguineos, ac Beneficos proximos esse, his tamen propinquitatem arctari concellis mordicus abuo.

## §. III.

*Proximus Evangelicus.*

XII. Est ergo Proximus noster omnis ille, cujus indigentia nostram efflagitat beneficentiam. Omnis ille, qui pretiosa sanguinis Christi purpura indutus. Omnis qui unum corpus in ipso per fidei generatione effectus Omnis, qui ad imaginem Dei conditus, etsi alioqui foret inimicus. Ratio est, quia proximus non tam in se, quam propter Deum amandus est. Minus illum amat, qui cum ipso aliquid amat, quod propter ipsum non amat, & non amat. Minus amat Dominum suum, quisquis hominem amat, & non propter bonitatem illius, imaginemq; quæ relucet in ipso. Quis vero non videt omnes factos esse idoneos, & redditos participet imaginis filii Dei. Consequens itaque est, quatenus tam uni, quam alteri afficiamur; siquidem eodem motivo inducimur æque ad unum, ac alterum diligendum, patrocinandum, ac beneficiendum tam huic, quam cuiquam alteri.

*Proximus  
Evangelicus*

XIII. S. Augustinus præsentem parabolam in libro de doctrina Christiana allegans expendit causam ob quâ sacerdos, ac Levites non est proximus, habitus illius, qui incidit in Latrones sed samaritanus; & ait: *Ut videlicet eum proximum intelligamus, cui exhibendum est officium misericordiæ, si indiget.* Non est mensurandus sanguine proximus, nec beneficentia; sed misericordia samaritanus Judæi sibi invisi proximus appella-

*S. Aug.*



appellatur, quia vel inimicus Judæus proximus est samaritani.

XIV. Assertor noster agens de dilectionis gradibus, summum esse statuit vitam pro amico profundere. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod qua ratione accipi queat, ego non video. Certè sublimiorem habet charitatem, qui animam suam pro inimico ponit.

S. Paulus ostenturus supereminentem Christi Domini in nos charitatem sic ratiocinatur: *Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audiat mori. Commendat autem charitatem suam in nobis, quoniam quum adhuc peccatores (inimici ejus) eramus Christus pro nobis mortuus est.* q. d. Inter homines vix ullus est tantæ charitatis, ut pro viro justo mori velit; pauci vero, & rari sunt; qui pro benefactoribus suis mortem subeunt. Atqui Christus ex charitate sua, & Patris sui in nos pro nobis, iisque injustis & malefactoribus mori voluit. Ergo Christus longe omnem omnium hominum charitatè superavit. Amoris objectum est bonum, nec homines aliud amant, & nisi quod bonum, pulchrū, nobile, delicatum &c Christus in nobis nequicquam simile invenit, sed euncta fœtida, putida, misera, & miserabilia. Amavit tamen fœdos, pulchros redditurus; inimicos amicos factur⁹; insipientes sapientes efformatur⁹; ægrotos sanitati redonatur⁹; miseros, beatos, ac gloriosos effectur⁹. Hæc est celsitudo amoris divini omnes amores creatos transcendens, quæ major dari nequit. Cur ergo Christus D. maximam definivit pro amico defū-

gi. *Majorem hac dilectionem nemo habet &c* Profecto quia & inimicus proximus est, & consequenter inter amicos computandus. Nam ut calamo angelico notet D. Thomas: *Homines, pro quibus Christus animam suam posuit, licet non essent amici, quasi amantes, erant tamen amici, & proximi amati.* Pro iis animam suam posuit qui & amici, & inimici extiterant, amici quemadmodum ipse vocat; quia perinde ac amici ab eo diligebantur, inimici, quia ipsū haud quaquam diligebant. Cum ergo dicit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam pro amicis suis, proprie, ac improprie amicos accipit, & utrosque ad amandos enuntiat.*

XV. Idem Dominus videns adventantem, cum cohorte valida militum, proditorem suum, obviam eidem processit; & salve, atque osculo à præfideliis accepto eundem resalutat, discens: *Amice ad quid venisti? Amice cū quo hæctenus familiarissime convixi quid agis? quid moliris? quid intēdis? Non me fallit graves authores esse, qui amara cum Ironia à Christo missam hanc vocē velint. Id si fuit, nescio quid in sono ipso, in ore, oculisq; pronuntiantis fuit; quod vocem illam dulcissimam vitaret, atq; amaritudine conspergeret. Verum quum id animo meo non faciat satis; multo minus p iissimæ Christi animæ placuisse mihi persuadeo. Vox illa jaculum amoris est, flammæ cordis Jesu arcu in ipsum Judam evibrans, dulcissimo hoc vulnere ipsum trāsfixurus. Nullum amori potentius telū est se ipso, nec u quā tam totus evolat, quam quum am eū appellat. Vox illa, mel fuit amoris, quod ab apiario divinitatis è Christi præcordi*

Christus i-  
nimos ap-  
pellat ami-  
cos  
Joan. 15.

Rom. 5, v. 7. 8

Cor. h. h

D. Thom. h. l.

Christus  
quo sensu  
Judam vo-  
cat amicam



præcordiis in illas, sese syllabas eliquans, dum osculo excipitur Christus in os discipuli invergitur; quo amarum proditionis mentis consilium in penitentiam condit. Vox illa speculum fuit, in quo tota se animæ facies exhibuit simulq; admirabili quadam vi fœditas proditionis Judæ objectata est. Cognovit itaque Jesus eum proximum, & ideo ut amicum dilexit in sua vocatione, ac natura; qui se inimicum reddidit in proditione tam præsentis, quàm futura.

XVI. Quod Christus Dominus exemplo suo & alloquio docuit, id ipsi nobis, & imprimis Vicario suo S. Petro per visionem commendatum voluit. *Evocatus is erat ad Centurionem Cornelium nomine, ubi in extasi positus, vidit descendens vas quoddam veluti linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terra, & volatilia cæli. Audivitque vocem dicentem sibi: Surge Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, & immundum. Non sum inquit Domine mi Ciconia, ut ranas deglubem, non sum Italus, ut frixem; non sum Germanus, ut limacibus vescar, aut testudinibus; non sum Squillus, ut serpentibus saginer. &c. Absit id Domine à me, aliud quidpiam esurienti suffice. Instat nihilominus Dominus, & urget: Occide & manduca quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.*

Quo spectaculo quid quæso Dominus innuere voluit Petro Vicario suo? Istud sanè, ut omnium gereret curam, ne Ethnicorum declinaret consortia,

ut haberet pectus tam vastum, quo & amicos, & inimicos, immo universum complecteretur. Ut imitaretur Paulum dicentem: *Non ergo jam Iudeus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque femina, omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Nemo est in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua charitate pro ipsa tamen communi naturæ proximitate debeatur. Proximus omnis quantumvis inimicus reputandus, & ut proximus diligendus.

XVII. Ita equidem secundum jura sacrosancti Evangelii omnes nobis proximi, omnes amici; nec tantum sanguini, officiis, aut beneficiis, sed & ipsa naturæ deferendum.

Verum eheu qua cura, & sollicitudine hæc jura observare nitimur? Quo affectu in proximos ferimur? Quibus obsequiis nobis, immo Deo obstringere adnitimur? Utinam non identidem olei loco acerrimum infunderemus! Utinam non tantopere alligemus, quam exasperemus vulnera! Utinam non officiiis pro officiis agamus! Utinam non multis eveniat, quod nobili cuidam Polono Szari dicto. Jacebat is ex pugna gravissimè saucius alia inter cadavera, jactabatque vexata dolore membra in hanc illamve partem, sanguine uberimè, ex sulcis framea diductis, manante, & reluctantem animam ictus profundius in corporis penetralibus recepti jam jam protrudere videbantur. Transit fortuito Rex Lokietko, & volutatem in sanguine suo, ac extremis doloribus conspicatus, nec non commiseratione tactus, ad comitantem se

*Proximus  
quisque  
Act. 10. v.  
12. 13.*

*Abid.*

*Gal. 3. v. 28*

*Hominum  
inb umauit  
tas arguitur*

*Cramer,  
lib. 7.*



seleat coronam: Hic miser profecto gravissimis torquetur doloribus. Audi hæc saucius, qui animam proximè acturus erat, & reposuit: O mi rex nequaquam me ita conficiunt hæc vulnera, quam quod malum habeam vicinum. Leviora mihi accidunt hæc tormenta, quam ipsius technæ, ac improperia. In corpore hæc vulnera ab hoste suscepti; sed à vicino in animo fixa manent, Cui rex: Bono esto animo, vindicaturum te ab eo me recipio, si convalueris. Eheu quoties in similes threnos alii prorumpere coguntur: Non ita me pungit colica, quam dentrata proximi jurgia. Non tam me casus macerant sinistrores, quam lividus vicini oculus. Malim commorari Leoni, ac draconi, quam meo vicino.

Olim dictum in proverbiiis: *Homo homini Deus*. Providet unus alteri, consulit, opitulatur, perinde ac Numen aliquod. Nunc vero rectius, & verius receptum est istud: *Homo homini lupus*. Indiget quispiam pellibus, quibus corpus involvat; carnibus quibus refici-

at, & illico circumspicit oviculam; quam deglubat. *Homo homini lupus*. Prodit alter pennis nobilioribus conspicuus, & ipse, perinde ac lupus, insidias struit. Postulat iste quippiam ad pedes provolvitur, pretia redemptionis interponit, nec quicquam amplius, quam ovicula à lupo obtinet. *Homo homini lupus*.

Et talibus ego, gemellisque sociis vitam promiserim beatam? Hisne calculum ad regnum adjecerim? Adjiciat sane qui ignorat cælum haud pro lupis esse conditum. Adjiciat; quæ latet exclusas à cœlestibus nuptiis fatuas virgines, quod oleo destitutæ fuerint. Adjiciat, qui nunquam fulmine illo ictus: *iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*. Ego, ut id nullo ex fundamento polliceri præsumo; ita admonitos velim, ut dum sunt in via proximos recognoscant, iisdem ad mensuram facultatum, ac talentorum sibi creditorum opitulentur. Faciant sibi amicos de Mammona iniquitatis, ut cū defecerint, recipiantur in æterna tabernacula. Amé.

Iac. 2. 13.

## CONCIO XLII.

IN DOMINICA XIII. POST PENT.

Occurrerunt ei decem viri Leprosi Luc. 19. 12.

## ARGUMENTUM.

Tribunal Leprosorum.

**E**am Fœdas Judiciales expirare, novumque subrogari Magistratū animadvertito. Aud. Apud Romanos sublatis Regibus, & suffectis Consulibus, creati erant Decemviri, qui ut Plebis cetera ex Græcia allata promulgaverant, inq; tabulas retulerant; ita cau-

tas, qua religionis, qua civiles dijudicabant. Ab his ad alias civitates traductus mos est; ut & ipsi citra Consules, Decemvros Patrum conscriptorum, vel etiam scabinos eligerent, iisdemq; potestatem dirimendi controversias committerent.